

78 L 1266 [3.]

76 1794

ORATIO
DE
TABACO EJUS-
QVE HODIERNO
ABUSU
HABITA
A
JACOBO TAPPIO MED.
D. EJUSDEMQUE PROF.
PVBlico

Cum Magistratu academico in Illustri
Julia quartum abiret.

Tertiò edita auctior.



V. 105

HELMESTADII,
Typis & sumptibus HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.
ANNO cl^o 1^o c LXXIII.

3



Kapsel 78 L 1266 [3]

AK
Syl. 24

§





Perquam Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi
Domini Professores, Collegæ plurimum coleandi,
& Vos Nobilissimi Præstantissimique Iuvenes,

Hæc si valde vereor, ne hoc, quod jam instituo,
& jamdudum factum esse oportuit, nimis
sero, adeoque sine fructu à me fieri dicatur;
certa tamen de causa adducor, ut existi-
mem, non omninò idonea occasione me
exclusum esse, neque prorsùs absque ullo
vestro commodo fore, si etiam nunc, cum Magistratu ab-
eam, de ijs rebus ad vos, optimi Iuvenes, verba faciam, quæ
quovis tempore prolata, sua haut carent utilitate: neque
dubito, quin ejusdem omnes mecum sententiæ sitis futu-
ri, qui nihil aliud audietis, quam quod huic loco, tempori,
meoque muneri conveniens, & ex vestro erit usu, atque
salute hujus academix. Quapropter, certò mihi persva-
si, non debere me magnoperè laborare, ut in auscultando
facilitatem, & in obsequendo promptitudinem à Vobis
impetrem; siquidem ipsi per Vos intelligitis, quid vestrum
deceat ordinem, & quid meum, quod hætenus gessi, me
moneat officium. Quæ enim nova intemperantia, novâ
illâ americanâ herbâ, patrum memoria ad nos allatâ, in-
ducta sit, nemo vestrum est, Auditores, qui nesciat. Oppi-
dò pauci verò sunt, qui aliqua saltem ratione perpendant,
quantum damni immoderato & perverso istius plantæ
usu,

usu, vel potius teterrimi ejus fumi haustu contrahatur. I-
raque meo hoc munere minus rectè me perfundum esse
mihi videor, nisi Vobis ob oculos ponam, quantum ve-
stris studiis, vestraque valetudini, imo ipsi vitæ vestræ pe-
riculum creet, detestanda illa Nicotiani halitus sive po-
tatio, sive sorbitio: & ne vestræ salutis adedò prodigi sitis,
quibus possim rationibus Vos admoneam. Rectè autem
me id facturum esse existimo, si priùs, quanta hujus plan-
tæ virtus sit & præstantia Vobis ex probatis scriptoribus
enarravero, & deinceps, adquam sædos abusus eximia illa
Dei creatura transferatur, quantaque mala ille secum tra-
hat, demonstravero. Veniam autem mihi dabit, si for-
tè quid dixero, quod Vobis displiceat, vel parum gratum
sit: vel, si pro rei conditione ac varietate, sermone minus
eleganti, nec undequaque sibi simili usus fuero.

Quemadmodum novus orbis à *Christophoro Columbo*,
vel, ut alii cum vocant, *Coloneo Genuensi*, & *Americo Vespu-
tio Florentino* detectus, rebus naturalibus quam plurimis,
iisque longè præstantissimis & nunquam antea cognitis
nos ditavit; ita etiam *Tabacum*, plantam sanè, si vires &
legitimum ejus usum spectes, saluberrimam, eidem acce-
ptam ferimus. Etenim Hispani in Americam trajecti,
cum certo experimento cognoscerent, Indos vulnera &
mala ulcera hujus herbæ expresso succo curare, eumque
perniciosissimo toxico, quo Caribes sive Cannibales, ferocis-
simi illi insularum Dominicæ & S. Crucis populi, suas infi-
ciunt sagittas, fortiter resistere, aliasque ejus virtutes ob-
servarent, in magno pretio cœperunt habere hanc plan-
tam, eamque in Lusitaniam transportarunt, & nomen ei
indiderunt Tabacum, ab Insula novæ Hispaniæ *Jucarana*
provinciæ subjecta, *Tabasco* vel *Tabacco* dicta. Est ea Insula
quam Hispani postea vocarunt Insulam Beatæ Mariæ vi-
ctoriosa,

Atoriose, quod Ferdinandus Cortesius Subactor regni Mexicanici, paulò ante à Johanne Grisalva, nepote Didaci Velasquez Cubæ Gubernatoris, reperti, insignem ibi victoriam anno millesimo quingentesimo decimo nono obtinuit. Indis verò, imprimis Peruanis dicitur hæc planta *Picielt*, *Petun* & *Perbecenne*, Hispaniolæ incolæ vocant *Cahobba*, inquilini verò Virginie *Vppowoc*, ut testatur Petrus Martyr ab Angleria Protonotarius Apostolicus & Consiliarius regis hispanicus, & Thomas Hariot in sua Virginie descriptione. E Lusitania translata est hæc herba in Gallias à Johanne Nicotio Nemausensi, in aula Francisci Secundi Galliarum regis Libellorum supplicum Magistro. Cum enim is anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono nomine sui regis apud Lusitanos Legati munere fungeretur, Nobilis quidam Belga Archivorum regionum Præfectus illi Tabacum ceu transmarinam & nuper ex Virginia allatam herbam dono obtulit, maximisque laudibus extulit. Ille acceptam raram & nunquam antehac sibi cognitam plantam in horto suo magno studio educari & propagari curavit; & cum deinceps in curandis vulneribus & fugando veneno felicissimum ejus cognovisset usum, noluit amplius patriam suam carere nobilissimâ & saluberrimâ hac plantâ. Semen itaque ejus misit ad Regem suum Franciscum ejusque matrem Catharinam Medicæam, unde primò in Galliis appellata fuit herba Regina & herba Medicea. Postmodum autem, in gratam memoriam commemorati Nicotij, obtinuit nomen *Nicotiana*, quo etiam ad hunc usque diem Scriptores passim utuntur; etsi Andreas Thevetus Johannis Leri Adversarius (qui expeditioni illi interfuit, quam anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Nicolaus Durantius Villagagno, Eques Mehtensis auspicio Henrici Secundi, ejusque

Thalassiarchæ Casparis Collinij in Brasiliam instituit) in
Cosmographia sua eam appellet *Angoulmoisine*, seque ejus
inventorem & primum, qui semen Tabaci Galliæ intulerit
falsò gloriatur. Italia Tabacum accepit beneficio
Cardinalis de Sancta Cruce, Nuncii Apostolici ad Lusitanæ
Regem missi, qui Redux eam primus Romam attulit ;
unde ibi tanquam incognita herba, dicta fuit *herba San-
ctæ Crucis*. Cæsalpinus existimat, primò à Nicolao Tor-
nabonio eam esse ex Gallia in Italiam missam ad Alpho-
sum Tornabonium Antistitem Burgensem ; hinc eam
Tornabonam vocat. In Angliam translata est à *Richardo
Grenvillio*, qui anno millesimo quingentesimo octuagesi-
mo quinto, jussu Elisabethæ Reginæ, sumptibus verò fo-
dinarum metallicarum Præfecti Gualtheri Ralegi, Vir-
gineam, in qua præstantissimum nascitur Uppowoc sive
Tabacum, adiit & ad eam inhabitandam Colonias ex
Anglia deduxit. Ex nobilissimis hisce Europæ Provin-
ciis facili negotio ad Belgas, à Belgis ad nos transit Ta-
bacum, utinam non cum majori nostro damno quàm
fructu, & salutiferæ herbæ opprobrio quàm laude. E-
quidem, ut in principio diximus, si naturam & verum u-
sum Tabaci spectemus, vix datur ulla alia planta, cui plu-
res dotes concesserit rerum Parens, quàm huic Nicotia-
næ. Ea enim,

*Planta beata, decus terrarum, munus olympi
Dissipat ignavum cerebro torpente veternum,
Siccatur & illuviem, eductis sternumine mucis,
Per via spiritibus mentis capitolia scandens,
Supplementa nova exhaustis animalibus infert,
Atque hebetes subito restaurat acumine mentes,*

Galli-

Ingenium illustrat, si quando aut multa tenebras
Colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo
Intellectus hiat, rerum neque concipit umbras,
Conceptasve tenet, vel caeca oblivia regnant
Ut semel irrepfit blando lux indita fumo,
Aufugiunt nubes atrae, curaque tenaces,
Vis micat in ventrix, demto velut obice veli,
Tota oculis animi patet ampli machina mundi,
Aeternae species naturae ex ordine nexae
Succedunt, redeuntque suis simulacra figuris.

Et, si Nicolao Monardi, Aegidio Everharto, Castori Duranti, Thorio & Neandro fides adhibenda, non est pars corporis humani, cui non medecatur

Nomine quae Sanctae Crucis Herba vocatur, ocellis
Subvenit, & sanat plagas & vulnera jungit,
Discutit & strumas, cancerum cancro saque sanat
Ulceras & ambustis prodest, scabiemque repellit.
Discentit & morbum cui cessit ab impete nomen:
Calfacit & siccatur, stringit mundaturque resolvit,
Et dentum & ventris mulcet capitisque dolores.
Subvenit antiquae tussi, stomachoque rigenti,
Renibus & spleni confert uteroque, venena
Dura sagittarum domat, ictibus omnibus atris
Haec eadem prodest, gingivis proficit, atque
Conciliat somnum, nuda ossaque carne revestit.

Toxici

Toxici autem vires infringere Hispanis hac ratione innotuit. Contigit, inquit, Nicolaum Monardes Hist. Simpl. Medic. ex novo orbe delatorum, ut quidam Cannibales in suis Cymbis ad Divum Iohannem de portu divite navigarent, Indorum atque etiam Hispanorum (si quos reperissent) telus suis venenatis conscientia causa. Eo appellentes autem plerosque vulnerant: Cum vero hi sublimato carerent, à quodam Indo edocti sunt, ut Tabaci succum expressum suis vulneribus & ipsa deinde folia trita imponerent: sedati sunt ilico dolores, Dei beneficio, & ea symptomata quae huiusmodi venena subsequi solent, venenum super arum vulnera deinde curata. Ex eo foliis huius planta adversus venena uti caprum est. Unde Kavelengius haud veritus est de Tabaco ita ludere;

Vix uni cunctis poterat medicarier herbis
Haectenus agrotò tota cohòrs medica:
Nunc una cunctis poterit medicarier herba
Protinus agrotis.

Imò & brutorum animantium, imprimis equorum, boum, canum & felium morbis praesentissima medicina est Tabacum. Nam per universam Indiam (verba sunt Monardis) frequentia ulcera vaccas, boves & alia animalia infestant, quae facile ob regionis humiditatem extremam putrescunt & vermibus scaerent, quibus solebant (Hispani) inspergere sublimatum alius remediis destituti, sed cum magno istuc veneat, plerumque quod ulceribus inspergebatur pluris constabat, quam animal curandum estimari potuisset: itaque Tabaci facultates in hominibus experti, illius etiam usum ad purida, foetida vermibusque scaerentia animalium ulcera transtulerunt, atque adeo compererunt, succum eius instillatum non modo vermes necare, sed etiam ulcera mundare, deinde ad cicatricem perducere. Addit Everhartus: Malum serpens

Serpens in Equis instar sublimati curant folia aut succus cum sissamentis impostus: tollit & Equorum tibiis innascentes poros sive callos. Iumenta chitellaria à sarcinis attrita, aut gravius laesa, etiamsi vulnus aut ulcera in cancrum vergant, succo aut sissamentis peti exhibitis, vel exsiccata ejusdem herbe pulvere, citra ullam alterius medicamenti opem, ita persanantur, ut haud opus sit ab incepto itinere desistere. Et quoniam Venatores Hispani helleborum feris interimendis tanquam praesentissimum venenum offerri solent, teste Monarde & Everharto, Rex Hispaniarum ut contra illud venenum etiam Tabaci vires experiretur, iussit canem in gutture laedi, vulnerique helleborum immitti, & paulò post Nicotianæ succum instillari apteque vulnus revinciri. Respondit Voto eventus; canis enim cum Regis & omnium admiratione incolumis evasit.

Celebrantur autem Tabaci virtutes non tantum in morborum curatione & veneno fugando; verum etiam in victu & refectione corporum sanorum. Quippe, ut Monardes porro refert, Indi Tabaco per aliquot dies famam sitimque sustinent. Conchyliis quaedam, inquit, coctis fluviatilium urunt, deinde atterunt calcis in modum, hujus & foliorum Tabaci aquas partes sumunt, manduntque donec ex utrisque massa quaedam fiat, quam in pilulas pisco majores confingunt, atque in umbra siccatas in usum reponunt. Facturi iter per deserta, ubi neque cibum neque potum se inventuros putant, harum pilularum unam intra labium inferius & dentes reponunt ejusque liquorem assidue sorbent, qua absumpta aliam reponunt, atque iterum aliam, donec peregrinationem triduanam aut quadriduanam absolvant. Imò, Incolæ Floridae Insulae statis anni temporibus solo fumo Tabaci vivunt, quem per cornua huic usui apta ore recipiunt. Cujus rei testes locupletissimi sunt, inquit Everhartus, vel ipsi Nausa, compaluresque alij è

B

Floridae

Florida nuper reversi, ac indies etiamnum revertentes, qui ap-
pensis ad collum quibusdam ceu cornibus, aut infundibilis ex-
palma foliis, junco cannisve, in quorum extremis congesta acli-
gata apparent ejusmodi folia, præ siccitate jam emarcida, mi-
rifice sibi placent. Hi prunas infundibuli angustiori parti appli-
cant, aperto ore excitatum fumum haurientes, quò famem sitim-
que suam sedari, vires restaurari, spiritus exhilarescere, cere-
brum jucunda quadam ebrietate deliniri, ejusque superfluos hu-
mores absumi, jurejurando asseverant. Affinia his sunt quæ
harum rerum *δύρονης* sive spectator Hieron. Benzo novæ no-
vi Orbis Historiæ l. 3. c. 20. de Pervanis narrat, qui peregrè
profecturi, adversus ventorum injurias, faciem bitumine
quodam rubro oblinunt, herbamque, quam Coca ipsi ap-
pellant, ore detinent & velut panchrestum quoddam phar-
macum circumferunt; ejus enim præsidio freti integrum
diem nullius cibi nec potus egentes iter faciunt. Eadem
propemodum de coca planta Indica scribit Monardes. Vul-
garis, inquit, est ejus usus inter Indos ad multas res, tum ad eas
quæ ad iter necessaria sunt, tum quæ ad voluptatem in suis adibus
serviunt, hoc modo: Conchyliis aut ostreorum conchas urunt &
calcis modo comminuunt: folia deinde Cocæ dentibus arterunt,
& subinde pulverem illum conchyliorum ustorum admiscunt, &
simul quasi fermentant, ut tamen minor sit calcis quam folio-
rum quantitas: ex hac massa trochiscos seu orbiculos conficiunt,
& siccandos exponunt. Quando eis uti volunt, unum orbicu-
lum in ore sumunt, eumque exsugunt, subinde in ore nunc hac,
nunc illac versantes, & quamdiu possunt retinentes: uno abstracto
alium sumunt, deinde tertium, sic pergentes toto tempore quo eis
in longis itineribus conficiendis opus habent, præsertim si per lo-
ca sunt, ubi nulla aut cibi aut aquæ copia est, quoniam horum
orbiculorum sorbitione famem sitimque sibi levare & vires su-
stentari asserunt. Hujus autem rei ratio in promptu est,
cum

cum enim calidus sit Tabaci succus, continua illa masticatio-
 ne attrahuntur à cerebro per palatum crudi humores, ad-
 que ventriculum protruduntur, quos ille in defectu me-
 lioris succi concoquit & in alimentum convertit. Coca
 vero succum alibilem lentum & viscidum continet, quem
 conchyliorum admistione fermentatum dum ore inde for-
 matos globulos versant, Indi facile exsugunt, ac pedeten-
 tim deglutunt, eoque famem & sitim sedant. Nam si qui-
 dam solo halitu & odore per aliquot dies vitam sustenta-
 runt, ut Democritus Abderita solo mellis, vel, ut alij vo-
 lunt, calentium panum vapore, & Aristoteles pomorum
 dulcium suavi odore; ne jam quid dicam de Astomorum
 gente ad extremos Indiæ fines circa fontem Gangis solo
 radicum florumque & malorum sylvestrium grata exha-
 latione vivente; quid nî Tabaci succo, continua mastica-
 tione attracto, corpus nostrum per aliquot dies possit nu-
 triri? Cum etiam ex Theophrasto Eresio constet, jam o-
 lim Scythas sola Glycyrrhiza (quæ circa Meotin paludem
 plurima nascitur) contentos absque ullo alio alimento
 decem duodecimve dies vixisse. Similem ferè in modum,
 populi Lucomoriæ ultra Obij fluvium in montibus sitæ,
 absque ullo cibo per quinque menses, nempe à 27. Novem-
 bris usque ad 24. Aprilis veris sequentis vivunt, quod cor-
 pora eorum copiosa pituita referta, indeque profundò so-
 pore correpta, aliud externum alimentum neque expe-
 tant neque indigeant. Ubi autem pituitosus ille humor
 diuturno somno & accedente novo calore vernali con-
 sumptus est, denuò instar ranarum & muscarum revivi-
 scunt, ut refert *Sigismundus liber Baro in Herberstein in ve-
 rum Moscovitic. Commentariis.* Et addit: *Cum his quoque Grustintzi*
(Grustinae Urbis circa Mediam Obi fluminis partem sitæ in-
colæ) & Serponovuzi populi nova, & alias inconsueta habent

Commercia: Cum enim statum tempus moriendi seu dormiendi illis imminet, merces certo loco deponunt, quas Grustiniæ & Serponovæxi, relictis suis interim æqua Commutatione mercibus, auferunt: eas illi rediivivi, si iniquiore estimatione abductas esse viderint, rursus repetunt, unde lites plurimæ & bella inter eos oriuntur. Sed hæc obiter in gratiam benevoli Lectoris. Qui plura hac de re legere volet, adeat opusculum Francisci Citesij de Abstinate Confolentanea, in quo hæc historia aliorum fide dignorum, etiam Principum & Illustrium Virorum testimonio confirmatur, imprimis vero relatione Alexandri Guagnini Veronensis peditum in arce Vitebska finitima Moschoviæ, Præfeti, in sua Moschoviæ descriptione.

Illam autem Tabaci famem sedandi virtutem expertus quoque est Silepus Bacchi alumnus, à Raphaele Thorio ita introductus.

*Ipse cavam ante omnes accommodat ore cicutam
Leniter adducit nebula mirabilis haustus,
Et ductos patulis fumos è naribus efflat.
Nec mora, permotus subit à dulcedine, toto
Corpore diffusum sentit gestire vigorem,
Vt solet à noti fœcundo flumine Bacchi
Serpere paulatim, non intellecta voluptas,
Ora madent: non falsa fitis, non vexat acerba
Esuries, vomitusve: levi vertigine tantum
Crura vacillare, & supremam udescere frontem
Percipit illæsus, sed & hæc vanescere gaudet*

Neque verò intra hos limites se continent Tabaci vires, verum, ut ante laudatus Monardes commemorat, Americani eas etiam in sustinendo labore & lassitudine tollenda cum voluptate experiuntur. *Nam ex oneribus ferendis,*
verba

verba sunt Monardis, & aliis laboribus, forte & crebris sal-
tationibus quibus delectantur, defatigati, tabaci fumum
hauriunt, & ilico quasi mente alienari corruunt: excitari vero
se refocillatos eo somno & vires recuperatas sentiunt. Eorum
exemplum secuti Aethiopes pro mancipiis eo deducti, ni-
mis frequenter eum hauriunt; quo fit, ut eorum Domini egregie
eos castigent, & illorum Tabacum exurant, quo ansam auferant
sapius illo utendi: clam tamen uti non desinunt. Ad hæc allu-
dit Thorius quando de Tabaci fumum sugentibus eum
in modum canit.

Nec mora; quis patulis lateat sub frondibus error
Eventus docuit; totis (mirabile) castris
Evomitur, caditurque velut cum gurgite pleno
Ingruit admissi miranda potentia Bacchi,
Volvitur in gyrum tellus, cælumque videtur
Nubibus adductis surgenti occurrere terræ,
Tum sopor obrepit, somnique invidiæ cupido
Germanam dubia præfagit imagine mortem
Capripedes mediis diffusos stertere arenis
Cernere erat, disjecta solo defessa furentum
Membra Minallonidum devota jacere sepulchro
Mox ubi discusso longi languore veterni,
Plenior ex adytis in singula membra recurrit
Spiritus, amissæ redierunt corpore vires
Surgere tunc alacres, pedibusq; insistere firmis,
Et fulgere oculis, thyrsumque vibrare lacertis
Fortibus, absentesq; lacessere vocibus hostes.

Nec hic prætereundum, quod Thomas Hairot in sua Virgi-

nix descriptione narrat, tanto in pretio apud illius Insulae incolas esse *Yppovvoc* sive Tabacum, ut suos etiam Deos isto delectari existiment. In quorum gratiam odoratos ignes accendunt, iisque loco sacrificii, Tabaci pulverem injiciunt: in mari navigantes, coorta tempestate, aëri & aquæ eundem pulverem inspergunt, neque non novis suis nassis induunt. Similem ritum observant, ubi gravi aliquo periculo sunt defuncti, mimicos admodum gestus edendo, nunc terram pedibus pulsando, nunc saltando, nunc manibus complofis & in altum protensis gestiendo, nunc cœlum spectando & dissona verba efferendo. Eundem ferme in modum in *Hispaniola* sacerdotes & Augures, quos *Boitios* vocant, quando de belli eventu, de annona & de incolumitate suos consulunt *Zemes* (sunt eorum idola varij generis, per quæ Dæmon responsa dat; lignea enim construunt, ubi nocturnis umbris inter arbores responsa acceperint: Marmorea, si intra rupes: in radicibus verò coluntur, si inter *Agēs*, id est, inter radices, nostris nasis forma & magnitudine, gustu vero castaneis nucibus similes, consilium dederint) domum *Zemi* dicatam ingrediuntur, *Ibique*, ait Benzo, *absorpta per nares cobobba*, sic herbam vocant inebriantem, Tabacum, qua *Boitij* statim in furorem aguntur: domum ilicò tectis ad fundamenta versis moveri, homines versis vestigiis ambulare, se videre garriunt. Tanta est pulveris illius contusi vis ex *cobobba*, ut sensum omnem ilico summenti eum rollat. *Ut primùm cecidit insania*, brachiis, demisso capite, genua complectitur, (loquitur de Sacerdote *Bohitio*) quo in statu attonitus paulisper immoratus, caput veluti somnolentus elevat, atque oculos in cœlum attollens intra se confusa quadam eloquitur. Cui primarij aulici adstantes (neque enim de populo quisquam ad ea sacra admittitur) sublatiis vocibus gratias agunt, quod jam à *Zemis* colloquio ad eos redierit: & quid
vide-

viderit, percontantur. Ille autem os aperiens Zemem eo tempo-
re se allocutum esse delirat: & victoriam, aut perniciem, si cum
hostibus manus conferverint: aut famem vel ubertatem, pestem
aut incolumitatem, & quicquid in buccam venit, prädixisse Ze-
mem velut Lymphaticus prædicat. His similia refert Nico-
laus Monardes: Hæc est, inquit, celebrata illa indicis sacerdo-
tibus planta, qua uti solebant ad responsa danda. Etenim apud
Indos moris erat, Sacerdotes de bellorum eventu, aliisque magni
momenti negotiis consulere. Consulius sacerdos, istius plantæ
folia sicca urebat, & eorum fumum rubulo seu cannula quadams
in os excipiebat, deinde quasi in exstasim quandam raptus, cade-
bat, omni motu privatus; sicque permanebat aliquamdiu. Discus-
sa ejus fumi facultate, ad se redibat, referebatque negotium
cum demone contulisse, & responsa dabat ambigua, ut, utcum-
que eventus succederent, illis facile persuaderet, sic se prædixisse:
eoque modo barbaros illos homines misere decipiebant. Ceterum
vulgus etiam Indorum eum fumum per os & vases recipit animi
gratia, cum insomnia videre interdum, & extra se quasi rapi cu-
pit, tum etiam de suorum negotiorum eventu, ex insomniis qua
apparuerint pronuntiaturum. Nam ut impostor est diabolus, her-
barumque facultates novit, illos hujus vires edocuit, quo, apparen-
tibus ejusdem insomniis, miseris hominibus imponat. Neque
verò Bohitij tantum hunc Tabaci fumum captant, ubi sa-
cerdotis muneri præsumt; verum etiam quando ad ægrotos
curandos ingrediuntur; ubique enim terrarum apud Ame-
ricanos eandem personam sustinent Medici & Sacerdotes.
Quascunque provincias mihi adire licuit, quantumque intellexi,
inquit Benzo, ydem medici sunt & Sacerdotes, & in aliis ea-
rum terrarum oris ita se habere facile equidem crediderim: eos
patrio idiomate Bohitios appellant, maxima ubique autoritatis:
quorum tamen opera & arte nulli fere præter primores utuntur.
Quando autem ingrediuntur ad curandum ægrotum, præ-
cipue

cipue curatio peragitur fumoso Tabaci succo, quo ægrum ad satietatem usque inebriant. Hic, discussa temulentia, ex Deorum concilio se rediisse, milleque rerum species sibi objectas mentitur. Deinde Medici ægrotum ter quaterve circumeuntes, corpus illius, maxime renes manibus leniter demulcent, multiplici interea oris habitu gestuque os lapidemque intra buccas tenentes: ea ossa & lapillos fæminæ, velut sacras reliquias studiosè conservant, persuasæ iis amuletis adjuvari puerperia.

Ex his intelligimus, Auditores, jam tum Barbaros illos homines, præter licitum ante enarratum usum, insigniter etiam abusos fuisse laudatissima hæc planta. Nam & hoc addunt Scriptores, vix ullum ex Barbaris offendi, è cuius collo fasciculus Tabaci non pendeat, quique etiam cum familiaribus colloquens fumum per nares labiaque pertusa, velut è thuribulo, ad ebrietatem usque non exhalet. *Vbi maturum est (Tabacum) air Benzo lib. 1. hist. Nov. Orbis c. 26. ejus folia stringunt & in fasciculos collecta ligataque in fumario suspendunt; donec inaruerint: cumque illis uti volunt, spica patria folium unum ejus herba uni folio innectunt, eaque simul fistula aut tubi instar compingunt: & ejus capitum altero igni admozo, alterum ori inserunt, & spiritum flatumque ad se retrahunt. Denique tantum fumi sorbent, ut ora, guttura & capita impleant: tantam interea patientiam præstantes durantesque quoad voluptatis quam inde percipiunt, non pœniteat: sequè immitti illo fumo adeo inebriant, ut penitus sopito omni sensu è mentis potestate exeant. Reperiuntur etiam qui adeo avidè ac furenter eum hauriant, ut tanquam exanimis in terram concidant, ibique maximam diei partem aut noctis, velut stupefactis sensibus & capiti mente, jaccant. Nonnulli temperantius & hæcenus tantum sorbent, quoad vertigine capitis corripiantur. Quam corporis & animi perniciem ut eo certius & facilius contrahant, Ta-
baci*

baci foliis etiam Cocam, cujus supra mentionem fecimus, admiscunt. Si autem taxat, porro de Coca narrat Monardes, voluptatis gratia uti volunt, solam Cocam mandunt, eamque in ore versant, donec omnis facultas absorpta sit; deinde aliam sumunt. At si inebriari aut aliquantulum extra se rapi & veluti mente alienari, Cocæ Tabacæ folia admiscunt, atque simul mandunt & sorbent: ea ratione extra se feruntur veluti homines ebrii, magnam voluptatem inde capientes. Et profecto res admiratione non caret, conspiciere quam isti Indi oblectentur mente & sensu quasi privari, quandoquidem ejus rei gratia Cocam cum Tabaco sumant, aut solum Tabacum.

Apparent etiam hujus vesaniæ & intemperantiæ vestigia apud veteres populos. Quippe, Herodoto teste, Babylonij incenso arborum fructu ejusque fumo hausto cum in modum inebriantur, ut tripudiis & cantibus exultent. De Thracibus narrat Pomponius Mela, eos epulantes focos circumire, & herbarum semina ignibus injicere, cujus nidore capti ebrios imitantur, & tanquam vino affecti temulenti jacent. Eadem ratione Scythæ, cum abstemii sint, inebriari tamen gaudeant, cum in finem coniectis in ignem herbis fumum hauriunt, & haud aliter quam vino epoto inebriantur. De Solano Fariofo tradit Dioscorides, ejus radicem drachmæ pondere ex vino potam facere species varias imaginesque non injucundas menti obversari: at duplicatam ejus quantitatem mentis alienationem, quadruplicatam vero mortem adferre. Et Garcias ab Orta refert, Succum Banguæ ex semine & folijs plantæ indicæ confusus expressum, fortiter adeo inebriate, ut quodammodo sensus cerebri lædat, & in ecstasi sumentes rapiat. Admiscunt huic succo, ut ejus vires augeant eique gratum saporem concilient, Fausel sive Arecam virentem, nucem

C

moscha-

moschatam & macim: interdum cariophyllos, interdum eaphuram de Burneo dictam: Potentiores Mauritani addunt ambarum & Moschum, plerique etiam opium. U-
sus ejus primum excogiratus dicitur, ut Duces exercitu-
um, qui perpetuis curis & vigiliis vexantur, omni labore
& sollicitudine liberati, eo somnum sibi concilient. Quam
ob causam Magnus Sultanus *Badur*, ut *Garcias* tradit, *Mar-
rino Alfonso de Sousa* Consiliario regio, quem plurimum
dilexit, eique consilia secretiora credidit, dicere solitus
est, quod si in somnis Lusitaniam, Brasiliam, Asiam mino-
rem, Arabiam, vel Persiam adire veller, se paxillum Ban-
gue Saccharo conditum, & paulò antè enarratis aroma-
tibus commistum, patrioque idiomate *Maju* vocatum de-
vorare.

Christophorus à Costa vult, Indos non succo hujus
plantæ, sed semine & foliis in pulverem redactis uti, ut vi-
dere est ex ejus lib. *Aromat. & Medic. in India Oriental. nascent.*
ubi de *Bangue* hæc tradit: *Fit ex hoc Bangue compositio vulga-
ris admodum usus in iis regionibus, ad varios effectus: etenim
magnates & militia præfecti, ut laborum obliti securius & libe-
rius dormiant, seminis & foliorum in pulverem redactorum quan-
tum videtur, sumunt, illique addunt Arecam sive avellanam
Indicam viridem & opij nonnihil pro arbitrio: omnia saccharo ex-
cepta devorant: si vero in somno varias rerum species sibi obser-
vari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Cariophyllos,
Nucem moschatam & Macin: si vero bilares esse volunt & face-
ri, & præsertim in venerem procliviores, ambaro & moscho ad-
ditis saccharo excipiunt, & electuarium faciunt.* *Bangues* e-
tiam mentionem facit *Cl. Dn. Olearius* in *Itinerario Persico*
l. 5. c. 15. neque non in *Notis ad histor. Ind. Oriental.* *Nobiliss.*
à *Mandelsloh*, & *Persas Indosque* etiam hodie ad excitan-
dam

dam venerem Bangue abuti ait, cumque in finem ad Sere-
 nissimum Holsatiæ Principem missum Legatum Persicum
 Immaculum Sulthan virum 70 annorum in itinere perpe-
 tuo globulos ex Bangues foliis & semine confectos man-
 ducasse, cum juvenulam Astrachanam thori sociam ha-
 beret. Est autem, ut obiter hoc nosemus, in ea opinione
 Cl. Olearius, ac si Bangue Indorum esset vera nostra Can-
 nabis. Ideo Persarum *Bengi*, folia *Bengi*, semina *Bengi* ger-
 manice reddidit *Hanff / Hanffbletter / Hanffsahten / &*
Bengi Kidi Bengi Hanffressersche Mahnrey; Miraturque
 quod Cannabis Persarum tantam vim habeat ad concitan-
 dam venerem, cum Cannabis nostra omnium Scriptorum
 Botanicorum testimonio contrarium effectum præster.
 Verum, quod pace Eruditissimi Viri dico, non est, Bangue
 eadem planta cum Cannabi, etsi externa specie eidem val-
 de similis sit. Audiamus hac de re Garciam ab Orta Pro-
 Regis Indiæ Orientalis per quamplurimos annos Medicum,
 lib. 2. cap. 25, ita differentem. *Est gangue planta Cannabi*
haud absimilis, at hujus semen Cannabino minus est, nec ita can-
dicans: deinde stolones liguosi nullo ferè cortice vestiuntur, con-
tera quàm in Cannabi. Postremo Indi hujus semen & folia edunt
ut fiant in venerem procliviores, cum Auctores contrarias facul-
tates Cannabino semini tribuant, videlicet, quod genitale semen
exsiccet. Idem testatur Christophorus à Costa lib. Aromat.
& Medic. in Oriental. India nascens, his verbis: Bangue simi-
le ferè est Cannabi, cujus Dioscord. lib. 3. meminit. Caulem ha-
beret quinque palmorum longitudine, quadrangulum, colore dilu-
sius virente, fractu contumacem, nec adeo concavum, ut canna-
binus caulis, cujus cortex non minus quam illius in fila diduci po-
test: folia cannabina superne virentia, inferne incana lanugine
pubescentia, gustu terrestri & insipido; semen cannabino minus,
neque

neque adeò candidum. Et post pauca. Multi mihi affirmarunt
hujus semen & folia ad libidinem ciendam mira esse efficacia :
unde colligere licet , nihil affinitatis habere cum Cannabi , licet
illi admodum similis sit , quandoquidem autore Dioscoride loco su-
pra dicto, Cannabis calida & sicca est , & genituram exstinguit.
Dioscorides autem lib. 3. cap. 68. Cannabim ita describit:
Cannabis sativa, planta ad texendos funes validissimos mortali-
um generi perutilis , folia gerit fraxini , sed sædi odoris , caules
proceros , inanes , semen rotundum : quod cibo largiore genituram
exstinguit. Ex eo recente expressus succus convenienter aurium
doloribus instillatur.

Majorem, si vim intrinsecam spectas, affinitatem cum
Banguæ habet opium, ita ut nonnulli, teste eodem Garcia,
existiment Banguæ ab opio, Indis ofum dictum, non differ-
re, quod non minùs quam Banguæ inebriet. Quam ob causam
plurimus, inquit Garcias, hujus usus est per universam Maurita-
niam & Asiam : Siquidem ejus esui ita assueverunt, ut eo absti-
nentes periculum vitæ incurrant : quod sævè admiratione non ca-
ret, quandoquidem adeo narcoticum & stupefactivum est. Sed
etiam qui eo utuntur, dormitabandi plerumque videntur. Itaque
solent qui ejus facultates intelligunt, exiguà quantitate sumere :
Alij vero plerique liberalius eo utuntur, ut lassitudinem ex la-
boribus, animique festidia tollant. Dosis communis apud istos est
à viginti ad quinquaginta hordei grana. Eandem dosin o-
pij etiam hodie apud Indos infrequenti usu esse testatur A-
damus Olearius in notis ad hist. Indiæ Orient. cap. 20. l. 1.
Porro autem refert Garcias, se novisse quendam Coraso-
nem natione, à secretis Niza moxæ, singulis diebus tres la-
minas opij, quæ penderent decem drachmas & amplius de-
vorantem : & licet stupidus & dormitabundus semper vide-
retur, aptissimè tamen & doctè de omnibus illum disputas-
se: Et

se: Et addit; *Tantum potest consuetudo.* Imprimis autem apud Turcas frequentissimum esse opij usum scribit *Bellonius l. 3. observ. c. 15.* adeo ut nemo Turcarum tam pauper sit, qui opium non emat: & licet asperum unicum possideat, tamen ejus dimidium opio impendere, idque pacis & belli tempore secum circumferre. *Periculum autem, inquit Bellonius, facere volentes, quantum quis opij devorare possit sine noxâ, lanissarum nobis familiarem & singulis diebus opio vesci solitum, ejus drachma semissem in nostrâ presentia devorasse animadvertimus: Postridie illum apud negotiatoris tabernam reperientes, illi integram drachmam dari curavimus, quam unico bolo devoravit, nec quidquam incommodi inde sensit, praterquam quod remulentus quodammodo videretur.* Hac opij manducandi consuetudo jamdudum apud Turcas invaluit: *Illius etenim esu animosiores sese fieri existimant, neque belli pericula formidare. Cumque Turcarum Imperator bellum gesturus, milium delectum facit, totam provinciam opio fere spoliavit. Vulgare apud eos est, sibi mutuo objicere, Tu edisti opium: quemadmodum si quis apud alias nationes alteri objiciat, ipsum remulentum esse.* Christophorus à Costa scribit apud Africanos & Asiaticos adeo vulgare esse opium, eosque illius esui ita affuetos, ut sine manifesto vitæ discrimine ab eo abstinere nequeant, idque se experientia comperisse, quando Indico mari in Lusitaniam navigaret. Cum enim eadem navi multi veherentur captivi Turcæ, Persæ & Arabes, nec sufficiente opij copia instructi essent, quendam Turcum in Aden natum ita se compellasse. *Hec tu, quandoquidem curandorum agrorum provincia in hac navi tibi data est, nisi mihi & meis sodalibus opium præbueris, certo scias, biduum nos non supervicturos.* Cum vero ille negaret, se opium in promptu habere, Turcum respondisse. *Illud ergo unicum esto remedium, quo nos, qui opij esui assuevimus, liberari queamus, si singulis diebus mane uni-*

cuique puri vini haustum propines, licet nobis admodum arduum sit & radosum, quod nostra legi adversetur, sed quoniam nostra salus inde dependet, necessario ferendum est. Ex illius itaque præscripto vinum omnibus dedit, liberatique sunt.

Præterea magnam inebriandi imo sopiendi vim habet planta in Malabar, Canara & Arabia frequens, Lusitanis *Datura* & *la Buzladora*, id est herba faceta. Turcis *Datura*, in Canara *Datiro* dicta, cujus radix drachmæ pondere ex vino pota somnum profundum inducit, in quo varia in somnia, & miræ rerum facies utentibus obversantur. Seminis vero in pulverem redacti dimidia drachma in vino vel alio liquore exhibita, etiam mentis alienationem conciliat. Unde impudicæ Indorum mulieres alienos viros concupiscentes, cum ijs, ob maritorum præsentiam, potiri non possint, maritis pulverem hunc clam in cibo vel potu offerunt, qui veluti mente alienati ad certum tempus remanent, & vel rident, vel ejulant, vel alto sopore detinentur; & licet interdum cum aliis sermonem conferant, eos tamen neque cognoscunt, neque colloquij habiti, postquam ad se redierunt, memores sunt.

Interim mulieres sic præsentibus maritis, imo in eodem lecto decumbentibus, libidini suæ securè velificantur. Insuper non rarò maritos somno ita sepultos contumeliose tractant, eorumque nasum percutiunt & barbam vellicant. *Sunt nonnullæ, inquit Christ. à Costa, adeo exercitatae in hoc exhibendo medicamento, idque sic temperare norunt, ut ad certas, easque quor velint horas, quibus id propinant, mentem adimant. Multa sane ejus rei exemplo, quæ vel ego ipse vidi, vel ab alijs audivi, huc adducere possem; sed cum ad rem nihil faciant prætermittenda esse duxi: illud solum addam, neminem, qui simile sumpisset, necatum unquam comperisse, tamen nonnullos conspexerim per aliquot dies perturbatos ferri,*



ferri, quod forte acciderat, ob immodicam quantitatem exhibitam: quæ si fuerit nimia interimit: quoniam hoc semen perniciofa qualitate non caret, licet Gentiles ad provocandas urinas cum pipere & foliis Bezele id exhibere soleant, & pernitile esse dicant.

Non minus vero Indi Tabaco delectantur, ita ut etiam in maxims negotiis Tabacum non negligant, imo in Templis suis inter sacra ejus succum & fumum hauriant, ut observavit Nobilissimus à Mandelsloh imprimis in Regno Gufaratta, vel, ut Lusitani eam provinciam vocant, Cambaja. Præses sive ProRex Gufarattæ quem in urbe Amadabad magno Indiæ Emporio, Mandelslovius invisit, etsi occupatissimus esset, tamen dum literas exaravit, simul per fistulam admodum longam hydriam rubram transeuntem Tabaci fumum attraxit, & cum ipse manum huic rei applicare non posset, adstantem ministrum habuit, qui una manu carbones ignitos canali Tabacum continenti imposuit, altera Tubulum ipsum ori Pro-Regis admovit. Indis has in re minime cedunt Persæ, qui ex Bagdad sive Babylone & Kurdestano, ubi Plurimum Tabaci nascitur, ejus copiam sibi parant. Imprimis autem delectantur Tabaco ex Europa allato Persis Inglis Tambaku vocato. Modum quo Persæ Tabaco utuntur, describit Cl. Olearius l. 5. sui Itinerarii cap. 17. His verbis. Sie nehmen eine gläserne Flasche/Krug/Indianische Nuß/oder Kaback (ist eine harte Schale von einer sonderlichen art Kürbs) und gessen selbige über die helffte voll Wasser/so bißweilen mit wolriechenden Wassern vermischet/lassen von oben eine Röhre herunter ins Wasser gehen/auff der Röhre aber ist eine Krone/in welcher sie den Toback und eine glühende Kohle drüber liegen haben. Denn ist eine hölzer-



hölzerne Pfeiffe eine oder zwei Ellen lang/so in das Gefäß/
übers Wasser gehet/durch diese ziehen sie die Luft nach sich/
so muß alsdann der Tobackrauch/weil das Gefäß neben
der Röhren fest zugemacht/durch das Wasser folgen/die
schwarze und fette Materie bleib im Wasser. Eiliche zie-
hen den Rauch aus mangel solcher gefässer nach unser art
durch lange hölzerne pfeiffen/an welche sie forn ein von
Erde gebrantes mundloch stecken. Quoniam vero in bel-
lo persico, quod Schach Abas in Georgia cum Tameris
Chano gerebat, milites maximam sui stipendij partem
Tabaco inutiliter consumerant, Rex in universis suis Ca-
stris omnem Tabaci usum severe prohibuit, cum ea com-
minatione, si quis mandato non pareret, is naso & labiis
privaretur. Cujus mandati severitatem etiam expertus
est mercator quidam persicus, qui, hujus mandati igna-
rus, cum ingentem molem Tabaci castris lucri causa in-
ferret, jussu Regis una cum sua merce rogo impositus &
vividus combustus est. Eadem hac cum Indis & Persis intem-
perantia laborant *Moschi & Rusi*, quorum etiam pauperri-
mi, tam mulieres quam viri, extremum quem possident
quadrantem Tabaco impendunt, ejusque fumo non tan-
tum se suasque privatas domunculas, verum etiam sacras
ades, Indorum more, turpiter contaminant.

Barbaros hosce, incultos & Idololatriæ deditos po-
pulos imitantur, imò iis multò deteriores sunt nostri ho-
mines, qui non ob morbum aliquem sanandum, nec fa-
mem sitimque tolerandam, nec, ex labore corporis lassit-
udinem cohibendam, ut Indos factitare audivimus; sed ex
mera Intemperantia, nec cerevisia, nec vino, nec alio quo-
vis, optimo licet potu, contenti, per longos tubulos sicca-
torum Tabaci foliorum incensorum fumum immoderate
ore &

ore & naribus ad ebrietatem usque sugunt & sorbent. Dici non potest, quanto cum detrimento, & pernicie, tum corporis tum animi, novum hoc jam grassetur intemperantiæ malum. Id enim certum est, & sensibus patet, Tabaci succum fumumque vehementer calidum, siccum & acrem esse, adeo ut omnes cerebri partes penetret, exsiccet, & ad intemperiem calidam deducat. Jam & illud manifestum est, mentis & sensuum operationibus maxime adversari omnem qualitatum in corpore nostro excessum & intemperiem: è contra verò eas gaudere *συμμετρία* sive temperie. Unde quò propius corporis nostri, imprimis & sanguinis constitutio, ad exactam humanæque naturæ convenientem temperiem accedit, eò perfectiores sunt mentis actiones: quo longius autem ab ea recedit, eò remotius quoque functiones abeunt à naturæ instituto, eoque sunt debiliores. Quam ob causam ferventissimus ille sanguis, qui à corde ad cerebrum transfertur, ineptus prorsus ad animi functiones est, nisi à cerebro ad debitam temperiem reducat. Quod manifestò deprehendimus, quando tantum caloris excessum capit sanguis, ut non possit sufficienter à cerebro contemperari, ut fieri videmus in ira, quæ brevis furor est, in ebrietate, & febribus ardentibus: vel ubi cerebrum ipsum sua nativa refrigerandi facultate destituitur, ita ut non possit suo officio fungi & fervido sanguini debitam temperiem reddere, ut accidit in furioso morbo, Mania dicto. Unde jam olim Cœsus noster fenex dixit: *ήγούμαι μηδέν είναι μάλλον τῶν ἐν τῷ σώματι ξυμβαλλομένων ἐς Φρόνησιν, ἢ τὸ αἷμα*, hoc est, *opinor inter omnia quæ in corpore sunt, nihil magis ad intelligendum facere, quam sanguinem.* Et l. 1. de morbis ait: *διαθρομανθὲν τὸ αἷμα διαθρομαίνει καὶ τὸ ἄλλο σῶμα πᾶρ καὶ παρενοεῖται ὁ αἰθερω-*

D

π. 6

π^ο καὶ σὰν ἐν ἑαυτῷ ἔστι, ὥστε τὴν πλῆθει^ο τῆς πυρετῆς, καὶ τῆς
 αἵματ^ο τῆς διερρήσε^ο καὶ κινήσε^ο γινομένης ἐκ τῆς ἐωθῆς. *Ca-*
lesfactus sanguis totum reliquum corpus calefacit, unde homini
mens alienatur, neque apud se est, propter caloris copiam & san-
guinis intermissam dilutionem & inconsuetam agitationem.
 ἐκκόπτεται γὰρ ἡ τῆς ἐν τῷ αἵματι θερμότη^ο κίνησις τὴν αἰσθητικὴν
 ἐνέργειαν, διὰ πάντας τὰς αἰτίας ἐν τῇ κεφαλῇ τῶν τῶ αἰσθητή-
 ρα ἔστι. *Obtrundis enim calidioris sanguinis agitatio vim sen-*
tiendi, quam ob causam incerebro sunt sensoria, ut docet A-
ristoteles l. 2. de part. animal. cap. 10. Et l. 4. cap. 10. ita scri-
bit: Ἐξέθετα ἡ φύσις ἐν αὐτῇ (scilicet ἐν κεφαλῇ) καὶ τῶν αἰ-
σθητικῶν ἐνίας, διὰ τὸ συμμετροῦ εἶναι τὴν τῶ αἵματ^ο κρᾶσιν καὶ
σθητικῶν ὡς πρὸς τὴν τῶ ἐγκεφάλου αἰθέρα, καὶ ὡς πρὸς τὴν τῶν αἰ-
σθητικῶν ἡσυχίαν καὶ ἀκρῆβειαν. Natura sensus nonnullos in capi-
te collocavit, quia sanguis ejus temperatus est, & idoneus tum
ad cerebrum tepesciendum, tum ad sensuum tranquillitatem
& integritatem. Adstipulatur his Galenus quando in Hip-
 pocratem aphorismo 7. l. 7. dicentem: *ex potatione multa*
delirium nascitur, ita commentatur. Quod quidem multa
potatio, non aqua, sed vini potationem significet, unicuique ma-
nifestum est. Desipiunt enim aliqui ex talibus potionibus, ca-
pite oppleto sanguine plurimo & spiritu calido. Ob quam cau-
sam calidiores redduntur corporis partes, præcipuè vero caput.
 Non potest autem aliter fieri, quin καπνόφιλοι & fumisu-
 γᾶ illi, nativam cerebri sui constitutionem alterent, & con-
 trariam calidam nempe, & siccam inducant, cum nullum
 propemodum diem, imò nullam horam prætermittant,
 qua non acrem & retrum illum Tabaci fumum ad cere-
 brum transmittant. Concalesfacto autem & exsiccato ce-
 rebro, non potest mens non turbari, & omnium sensuum
 functio lædi. Sanguis enim, instrumentum illarum fun-
 ctio.

tionum ad debitam temperiem non reducitur. Nec potest reduci, nisi à nativa cerebri refrigerandi facultate re-ducatur; propter sanguinem enim contemperandum natura construxit cerebrum, eique frigefaciendi potestatem dedit. Illa autem continuo illo fumi Nicotianei appul-
su mirum in modum labefactatur. Quid autem, Audi-
tores, turpius & homine liberali indignius, quam ex cere-
bro, nobilissima illa mentis fede, & omnis sapientiæ *Talenta*,
sordidum caminum, sive Vaporarium efficere? imo quid
miserius quam mentem perdere, & data opera stolidita-
tem & insaniam sibi accersere? Nihil autem aliud agunt
Tabaccarij illi Cinifiones, quàm ut cerebrum enervent,
seque ad sapientiæ cultum & quodvis opus peragendum
ineptos reddant. Quis est vestrum, Auditores, qui non
præstans sibi optet ingenium, ut faciles felicesque in stu-
diis possit facere progressus, & aliquando in virum laude
dignum evadere? vel si jam præstanti indole Deus eum
beârit, qui ad eò vesanus & impius sit, ut eam corruptam
velit? At reverâ qui intemperanter ad eò Tabaco indul-
gent, indolem illam, Dei illud donum, Talentum illud si-
bi commissum turpiter corrumpunt, destruunt, perdunt.
Quòd si ille servus, qui sibi traditum Talentum defodit,
suoque Domino absque usura reddidit, in extremas tene-
bras abjiciendus est, quid illi contingeret, quaque poenâ af-
ficiendus erit, qui non tantum cum scœnore non potest
reddere suum Talentum, sed qui insuper illud pessum de-
derit & annihilaverit? Plato l. 2. de legibus suadet, ut A-
dolescentes à vini potu abstineant, ne ignem igni addant,
& furiosum juventutis habitum acquirant, antequam viri
effecti labores subire discant. Quod si, Auditores, Pla-
to vino juvenes interdixit, quòd caloris potentia cere-
bri

bri temperiem labefactet, & multis halitibus replet ad-
eoque mentem hebetem turbidamque reddat, quanto ma-
gis Tabaci usus est prohibendus, qui illa omnia vino mul-
to efficacius præstat. Nam Tabacum sua caliditate mul-
tis modis vinum vincit, & loco humiditatis vini, habet
etiam conjunctam siccitatem. Accedit, quòd vel vinum,
vel cerevisia per se sola à potatoribus ingurgitatur, Tabacum
autem plerumque conjungitur cum vino & cerevisia,
adeoque reverà duplex ignisigni additur, & duplici noxa
corpus affigitur. *Sustentatur, inquit, Cicero l. 2. Offic. va-
lezudo notitia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ
aut prodesse aut obesse solent, & continentia in victu omni, at-
que cultu corporis tuendi causa, & præmittendis voluptati-
bus.* Et Plinius miratur, quòd omnia animalia sibi salu-
taria noscant præter hominem. Causam hujus rei egre-
giam reddit Seneca: *inter causas, inquit, malorum nostrorum
hæc una est, quòd vivimus ad exempla aliorum, nec ratione
componimur, sed consuetudine adducimur: quòd si pauci faci-
unt, nolumus imitari: cum plures facere cœperunt, quasi hone-
stius sit, frequentes sequimur, & recti apud nos locum tenet er-
ror multorum;* & Epist. 39. ita loquitur: *Voluptatibus, qui-
bus se immergunt, in consuetudinem adductis carere non possunt,
& ob hoc miserrimi sunt, quòd eò perveniunt, ut illis quæ super-
vacua fuerant, facta sint necessaria. Serviunt itaque volupta-
tibus suis, non fruuntur; & mala sua, quòd malorum ultimum
est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia
non solum delectant, sed etiam placent; & desinit esse remedio
locus, ubi quæ fuerunt vitia mores sunt.* Observate quæso,
optimi Juvenes, versurum & occultum Satanæ stratage-
ma, ille nihil aliud novo hoc intemperantiæ genere mo-
litur, quàm ut optima studia remoretur, ut bona ingenia,
quæ

quæ sibi suoque regno aliquando obfutura novit, obtun-
 dat & pessumdet: ut quod vini vel cerevisiæ ingurgitatio-
 ne expedire non potest, Tabaci abusu obtineat: vel, cum
 constet invido Veteratori, verum Tabaci usum humano
 generi maximè salutarem esse, hoc machinatur, ut sordidâ
 illâ fumigatione ad abusum transferatur, & quæ aliàs
 saluberrima erat medicina, mutaretur in nocentissimum
 tum animi, tum corporis deleterium. Nemo verò, Au-
 ditores, adeò vefanus & stultus esse solet, ut sciens volens-
 que hostis sui rethnas velit juvare & promovere, impi-
 mis si ad suammet ipsius perniciem faciant. Qui ergo
 adeò mali & impij sumus, ut insensissimi nostri hostis Dia-
 boli artes, contra nosmet ipsos, & in certissimum exitium
 nostrum non juvemus tantum, sed ipsi exerceamus ac per-
 ficiamus. Studiosè solemus cavere ne pedem ad lapidem
 offendamus; & ubi per sylvam iter facimus, quantâ indu-
 striâ virgulta observamus & removemus, ne oculi dam-
 num capiant. Quantò majori cura in ijs removendis al-
 laborandum, quæ mentis oculo nocere eumque profus
 elidere possunt? homine enim stolido stupidoque nihil mi-
 serabilius.

Quanta autem præterea morborum seges Tabaci ab-
 usum sequatur, in tanta temporis penuria sufficienter enar-
 rare non possum. Paucis ut rem tangam, qui Tabaci fumo
 enormiter adeò indulgent, non unam atque alteram tan-
 tum corporis partem lædunt, sed propemodum omnes ex-
 tra sanitatis limites deturbant. Cum enim Tabaci succus
 præter calorem, etiam magna exsiccandi vi polleat, ubi
 ille immoderatè & indefinenter ad cerebrum transmitti-
 tur, ejus humorem ita exhaurit, ut debitam suam consisten-
 tiam, & nativum colorem profus amittat. Notum est



ex historiis anatomicis , non raro in dissectis corporibus
eorum, qui, dum viverent, nimio Tabaci suffimigio usi fue-
rant, cerebrum prorsus arefactum, corrugatum, & quasi
nigra crusta obductum deprehensum fuisse. Ira Petrus
Pawius Anatomicus Lugdunensis in corpore juvenis ro-
bustissimi, & cætera sanissimi vidit cerebrum atris fuligini-
bus undiquaque oblitum. Causam ejus re, cum indaga-
ret, & ad maniam, aut alium capitis morbum eam referret,
ab ijs, qui juvenem illum noverant, intellexit, nunquam
cum aliquo morbo laborasse, sed usu assiduo Tabaci ira
assvetum fuisse, ut raro diem transigeret, quo atram illam
Tabaci fuliginem non hauriret. Unde non temerè suspi-
catus est Pawius congeriem illam fuliginum in cerebri ca-
vitatibus esse factam, ut scribit Justus Raphelengius ad Jo-
han. Neandrum. Et summus Vir Caspar. Hoffmannus
in suis *de Medicament. Officinal. libris* narrat, se à militibus in
Belgio versatis audivisse, quod illi viderint dissecta capita
Tabaci intemperantia laborantium, quibus cerebri patera,
ab Anatomicis ita dicta, tota interior fuerit nigra, licet nul-
lo morbo, sed à carnifice interiissent. Item, se accepisse à
Patritio Norico, qui in superiore bello Bohemico viderit,
multorum Anglorum, in illo conflictu interemptorum
capita illa nigredine fuisse infecta, quod, dum viverent, Ta-
baco nimium indulissent. Quoniam autem simulacer &
mordax est tartareus hic fumus, non potest aliter fieri, quin
partes capitis & cerebri continuo ejus appulsu corrodan-
tur & absumentur. Exempla non desunt apud Anatomicos;
unum saltem jam afferemus, quod nobis suppeditat
Hadrianus Falkenburgius in Epist. ad Neandrum scripta.
*In quodam, inquit, qui virum neminem sibi in Tabaci usu parem
existere haud immerito gloriatus fuerat, post supplicium dissecto,*
papil-

*papillares cerebri processus, cum nervorum odoratoriarum extre-
mitate prorsus defuisse, ita ut ne vestigium quidem eorum reli-
quum esset, hisce meis oculis unà cum multis meorum aequalium
conspeximus. Causa hujus defectus à spectantium doctioribus
in vim fumi Tabacini omnia siccandi, exhauriendi, arefacien-
di, extenuandi, corrugandi, ac proinde marcore quodam consu-
mendi conferebatur. Et quia ipse fumus Tabaci insigniter ni-
gricat, eundem suo indefinenter recenti contactu atque contagio-
ne prædictam cerebri, aut capitis particulam insicere ac deni-
grare posse, docet, ut alia omittam, febribus ardentissimis labo-
rantium lingua, quam sæpe à fumis, & vaporibus febrilibus ex-
ustis, faculentis, & nigricantibus è corpore inferiore in eam ex-
halantibus insigniter nigrescere conspiciamus. Porrò, neque in
omni corpore humano, neque in uno eodemque corpo-
re semper cerebrum abundat excrementis Nicotiano illo
nidore consumendis, Nihilominus tamen, hodie non est
ulla provincia, non civitas, non domus, aut angiportus,
in Europa nostra, in America & toto propemodum dix-
rim orbe terrarum, in quo non sine discrimine omnis æ-
tas, omnis sexus pulverem illud hauriat flumen, & sicco ti-
zuber mero, ut Poëtæ verbis utar, sive purum habet cere-
brum, sive veterno laboret. In defectu itaque noxij hu-
moris, activa illa & nunquam quiescens vis Tabaci agit,
vel in ipsum corpus cerebri, idque tabescere facit, ut pau-
lo ante diximus; vel laudabiles humores, imprimis san-
guinem aggreditur, eumque suo calore attenuat, liquat
& fundit. Colliquati autem hi humores, & in cerebro
cumulati, pro vario suo decubitu ad partes inferiores, va-
rios generant morbos. Ita si commoti fluant ad oculos,
lippitudinem & Ophthalmiam producunt: si ad maxillas
& dentes, exquisitissimum illorum dolorem excitant: ubi
ad*

fauces & laryngem defluerint, raucedinem, molestam tus-
sim, & periculosissimum morbum Anginam, respiratio-
nis viam intercludentem, adeoque hominem inter acutis-
simos dolores citissima morte extinguentem, generant.
Per asperam arteriam facilem transitum ad pulmones ha-
bent, quos si erodant, ut quam facillimè possunt, cum
pulmonum corpus molle, rarum & spongiosum sit, hu-
mores autem acres & penetrantes, mala ulcera, phthisin &
tabem totius corporis pariunt. *Audivi, inquit, ó parae' me*
Hoffmannus, *ab amico ex Anglia reduce, Serenissimum olim*
Regem Iacobum VI. publicè in Academia Oxoniensi disputasse
contra hanc fatuitatem, (scilicet alternis fumum potare ci-
cutis) ostensis exemplis illorum, qui laborassent diu insanabilibus
pectoris morbis, deliriis, insomniis, convulsionibus. Post mor-
tem autem inventi fuerint pulmones habuisse totos nigros & re-
torridos, non secus ac si fumo indurati essent. Ad stomachum
delatus Tabaci sive succus sive fumus, nauseam, vomitum,
& intempestivam concitat evacuationem. Quam exper-
tus est Guilielmus de Mera Medicus Delphensis, ut videre
est ex ejus Epist. ad Neandrum scripta. Modum, inquit,
hauriendi fumum (Nicotianæ) per infundibula, vel contorta
folia, ut Petrus Pena describit, nunquam videram ante annum
circiter millesimum quingentesimum nonagesimum, cum Lugduni
Bataavorum Medicinæ operam darem, tum primùm animadverti
studiosos Anglos, & Gallos fumum sugentes, quos cum imitari
vellem, ut ejus herba vires experirer, excitavit mihi magnam
alvi & ventriculi commotionem, tantamque temulentiam, &
vertiginem, ut proximum fulcrum arripere coactus fuerim. In-
tempestiva autem illa ventriculi & alvi commotio quan-
ta mala secum trahat, ex eo statim intelligitur, quod intem-
pestiva dicatur, id est, quod legitimo tempore, modo &
ordine

ordine non fiat, quaque id ejiciatur, quod in corpore debebat reservari, nempe utilis humor, corpori nutriendo destinatus; is enim ubi corpori præripitur, non potest non cachexia vel tabes totius corporis sequi, & alias, teste Hippocrate, periculosum est, eosevacuare, qui integra fruuntur valetudine; medicamenta enim ægris, alimenta sanis conveniunt. Tandem quid Fumisugæ illi aliud præmij loco habent, quàm quod calorem nativum incendant, ejus pabulum præmaturè absument, & ipsam mortem sibi accelerent. Quum enim nativus noster calor, instar flammæ humidum oleaginosum corporis nostri continuo depascat, non aliter ac lychnus accensus oleum consumit; illud necessarium consequens est: quo major & vehementior ille calor redditur, eò vehementius quoque & citius caloris pabulum consumitur. Consumpto autem pabulo, caloris subjecto, ipsum calorem deficere necesse est. Defectus vero caloris ipsa mors est.

Hi sunt fructus, Auditores, hæc merces est, quam reportant intemperantes illi Tabaci Alumni. Præpropera autem & funesta hæc mala, rectius & tutius cavere non potestis, quam si ipsos tartareis hisce deliciis Luxuriantes, cane & angue pejores, fugiatis, vestraque societate indignos judicetis. *Nam sepe familiaritas implicavit, inquit Isidorus, sepe occasionem peccandi dedit, sepe quod voluntas nolit, societas effecit. Nam quoties bonus malo conjungitur, bonus malus melior non redditur, sed malo bonus contaminatur.* Bonis itaque & virtute præditis associamini, eorumque vestigia sequimini. *Nam, ut Seneca Epist. xiv. docet, nulla res debiles & ad pravam proclives magis revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter affici, frequenter audiri.* Et in eadem Epistola. *Convictor delicatus, paulatim e-*

E

ACTVAB

ner vas & emollit. Si adhareas illi, necesse est, aut imiteris,
aut otio prosequaris. Verumque verò devirandum est, illud,
ne similis malis fias, hoc, ne multos tibi facias inimicos. Cum
his igitur conversare, qui remliorem facturi sunt, & illos admit-
te, quos tu potes facere meliores. Deinde, si ipsi virtutis a-
more sobrietati & temperantiæ operam detis, & novum il-
lud Nicotianum intemperantiæ genus, ceu certissimam
pestem corporis & animi vestri, summo studio fugiatis; o-
ptatissimum verò vestrum otium nulli alij rei magis, quàm
literarum & bonarum artium cultui impendatis, memores.
Vos non porandi & lasciviendi, sed optimorum studiorum
caussa in hanc academiam missos esse. Denique, si veris
rationibus expendatis, quod effrenati illi Heluones, qui-
bus nihil prius, nihil dignius, quam comotationes insti-
tuere, fumum ore & naribus spirare, de nocte in plateis
grassari, vociferari, & nihil non agere, quod ordinem no-
strum dedecorare, & tranquillitatem academiæ perturbare
possit, nihil aliud tandem cyclopica illâ suâ vitâ obtineant,
quam ut optimum tempus perdant, studia quorum gratia
hîc vivunt, negligent, sumptus malè collocent, Parentes,
propinquos & quam maximè seipso fallant, corporis va-
letudinem labefactent, & animum vitijis fœdissimis detur-
pent, verbo dicam, ut multorum magnorumque *dedecorum*,
ut Horatius loquitur, *pretiosissimi Emptores sint*. Unde enim
sunt immodesti gestus, sermones, grassationes, vociferati-
ones? non nisi ex ebrietate: unde rixæ, contentiones, lites,
jurgia, digladiationes & vulnera corporis & animæ? non
nisi ex ebrietate: unde ista morborum colluvies, unde cor-
poris & animi torpor nisi ex ebrietate? Profectò tam ma-
ligna vis ebrietatis est, ut, quos ipse Diabolus ad peccata
impellere non potest, eos quam facillimè seducat ebrietas.

Vnde

Unde S. Chrysoftomus ait. ὄντως ἔδεν ἄτως τῷ δαίμονι Φί-
 λον, ὡς τρυφή καὶ γαστριμαργία. Τὴ γὰρ πᾶν ἐργάζεται κακὸν ἡ τρυφή.
 χοίρεος ἐξ ἀνθρώπων ποιεῖ, καὶ χοίρων χείρας. *Revera nihil ita ami-
 cum est Diabolo, quam luxuria & ventris repletio; quid enim non
 mali perpetrat luxuria? Porcos facit ex hominibus & porcos dete-
 riores. Et post pauca, Ebrius nihil differt ab insano, & illo dete-
 rioris est conditionis. Insanum enim miseramur, ebrium verò aver-
 samur & odioprosequimur, quoniam spontaneam sibi contrahit de-
 mentiam, & os, oculos, nares, ventrem & omnia corporis membra
 peccati cloacas efficit.* Et Basiliius Magnus homil. 14. ita docet.
 μέθη, ὁ αὐταίρειος δαίμων, ἐξ ἡδονῆς ταῖς ψυχαῖς ἐμβαλλόμενος.
 μέθη κακίας μήτηρ ἀρετῆς ἐναντίωσις, τὸν αἰθερον δελὸν διποδεῖνυ-
 σι, τὸν σάφην ἀσελγῆ, δικαιοσύνην σὺν ἰδῆ, φερίησιν ἀναιρεῖ. ὡ-
 σπερ γὰρ ὕδωρ πολεμὸν ὄξει πυρὶ, ἄτως ἀμετρία οἶνον λογισμὸν κα-
 τασβέννυσι. *Ebrietas Damon est voluntarius, ex voluptate anima-
 bus nostris inditus. Ebrietas malitia mater est, virtutis inimica,
 fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum. justiti-
 am ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est ad-
 versa, ita vinum immodicum rationem suppressit.* Hæc omnia
 ad animum revocate, ὁ ὀπτιμὶ, & res vestras agite, id est, li-
 terarum, virtutis & sapientiæ studiis, quibus destinati estis,
 strenuam navate operam, juxta & pietatem & temperantiam
 in omni vita colite. Sancti estote, quia qui vos vocavit san-
 ctus est: purificate animas vestras auscultando veritati. Ea
 quæ vera sunt, quæ honesta, quæ justa, quæ pura, quæ boni no-
 minis: si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, hæc facite. Sic
 rectissime vestris studiis, omnique vestræ saluti consulatis;
 Sic Dei, Magistratus, Parentum & Præceptorum vestrorum,
 gratiam, favorem, amoremque vobis conciliabitis, & ali-
 quando locum in Ecclesia & Republica vestris studiis
 meritisque dignum obtinebitis.

D I X I.

E 2

THRE-



THRENODIA NICOTIANÆ
MISERABILITER
VEXATÆ.

NILLA Ego, Francorum regalibus insita
septis
Reginæ dicta Herba diu, vergentibus
horis
Autumni flos notus, odore frondis
honore

Adliciens animos, foliorum larga meorum
Illorum succo sævos medicata dolores
Vulneris, & varios, tantum non integra, morbos,
Heu misera, heu, trador crudis innoxia flammis
Atque hostes oblecto meos! proh fata! quid hoc
est,

Quod non morte mea morior; nec mî mea mater
Tellus hosce oculos claudit; sed flamma perurens
Me totam absumit! sola nunc nota *Tabaci*
Nomine; *Reginæ* nomen, nomenque *NICOTI*

Aut

Aut *sanae & sanctae* (jam sacra & debita flammis)
Amisi, misera, heu, tantum quæ servor, ut urar!
Ergò igitur, quoniam ingratus mea dona maligne
Spernis, homo, nunc jure bono tua gaudia dam-
nans,

Postquam uris quod amas, & amatae in funere
plantæ

Exultas, cinerum adsiduus te addico favillis,
Quam diu terrarum dabitur solisque potiri.
Ortus enim est aliquis nostris ex ossibus ultor
Petuni Genius, qui quam diu possidet arcem
Humanæ mentis, tam diu rationis egena,
Seria seponens nil magis cogitat unquam;
Sed nostris adfixa rogis, fuligine tætra
Aera conspurcans exhalat opaca mephirim:
Quæ non de nostro producta cadavere tantum,
Sed de nescio quæis fucis & fraude recenti,
Efficit, ut proprij pereat mihi gratia odoris;
Gratia sed maneat modo subcisliva, carere,
Qua nequeunt, quicumque favum fuliginis hujus
Gustarunt; nam sic cum sanis fascinat ægros,
Ut morbo gaudere suo videantur; & optent
Usque frui fumo, prætextu sive catharri
Sive alio adfectu: quum mens non sana labore,
Et mihi det pænas, fumus gloria prima,
Et desiderium; sed mî lacrumabile funus.

Hic Te præ reliquis *Vvingandecauva* ministris,
Teque *Tabasco* reas facio: tum quisquis in orbe
Occiduo super es qui nostram subvehis herbam,
Ut pascas fumo fatuos: Te devovet idem
Iste Meus *Genius*, Tibi ne super ulla quietis
Hora siet; sed *Francus*, *Iber*, *Britto* atque *Bata-*

vus

Dum lucrosa Tibi fingunt commercia; tandem
Servili tua colla jugo submittere quærant:
Et merito: nam Vos fumosæ regmine mercis
Sic dementastis populos, ut *Martia* corda
Nunc fumos solum spirent: tum munere vestro
Omnis in hoc sæcli nostri consistit honestas;
Flant cineres, ut multa spuant, fumosaque ru-
ctent.

Vos Asia, *Europa*, gentesque *Libyftidos* ora
Crudelitate levi quia sacrae illuditis herbae,
Et nidore meo gaudetis; solvite pænas
Has mihi, quod nunquam cessabunt tristia bella;
Et quod nullus amor populos nec fædera jun-
gent:

Sed Vos tam dudum sequar atris ignibus absens,
Quamdudum inter Vos plus nostri pulveris hau-
stus

Et cineris, Herbae quam succus, honoris habe-
bit.

Barba-

Barbaries terris succedet, pristina virtus
Exilio se sponte suo muclabit amaro :
Nec Vos ante suo dignabitur illa revisu
Quam *Bona Mens* , nostros tandem miserata labo-
res ,

Humano generi gratissima *Divæ* redibit.
Tunc mea stirps cultis securè crescet in hortis,
Et me non ignis sed Fati finiet hora:
Tunc hominis, demum mucos cineresque perosi,
Non sentina magis, putrisque cloaca, cerebrum,
Nec fumi, velut ante fuit, domus atque cami-
nus ,

Sed *Rationis* erit sedes: in seque reversus
Ceui post liminio tractabit seria mundus.





In disertissimam de Tabaco

Orationem

Amplissimi & Excellentissimi Viri

DN. JACOBI TAPPIL,
MEDICINÆ DOCTORIS ET PROF.
CELEBERRIMI, ACADEMIÆ
JULIÆ SENIORIS &c.

EPIGRAMMA.



Xemplum naturæ, & quod contraria
pugnas

Exercent, uno nescia stare loco,
Ars etiam hic sequitur, Tu qui sapis, optime Lector,

Hoc nitidum mentis laudibus effer opus
Fumosum sermone gravi quo corripit orbem,
Dedocet & Chaucos rancidum olere suos
TAPPIADES, suavi verborum flumine inundans,
Sic erat ingratus disjiciendus odor!

Debiti honoris ergò l. m. g.
f.

GERHARDVS TITIVS D.
S. Theol. in Acad. Juliâ Ordin. Prof.

Ad

Ad Lectores.

Talibus insignem virtutibus Uppovvocam
Barbara ab occiduis India misit aquis
Tales, invaluit simulac præposterus usus,
Hinc artus miseri mille tulere neces.
Sæpe ita præstat opem, quod creditur esse vene-
num:

Et fit pestiferum, quod panacea cluet.
Discite cunctorum proprias cognoscere vires,
Omnibus & certos rebus inesse modos.

VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS D.
& P. P.

Commoda multa inhibet nobis Iunonia proles,
Et nocuas alias poscit ubique vices.
Ut Medicam nostram perdat, produxit eremo
Bombastum Helvætica fumificum & Picielt.
Iulidos monstrat fidus tibi Tappius ingens;
Quomodo Tabaci sint fugienda malas
Humor ut internus noster recalescat ab herba,
Ferre suam Bacchus debuit ustus opem.
Tu quoties biberis, cave transgrediare bibendo,
Sæpe solet triplex inde venire dolor.
Est animi primus, cerebri alter, tertius æris;
Inque vices loculi, mensque, caputque dolent.

F

Hæc

*Hæc tria vis fugias, fuge Petum: rarius illis
Succubuit, quisquis non rationis eget.*

Amplissimo suo olim Hospiti, Præcepto-
ri ac fautori summo observan-
tia ergo

SEBASTIANVS SCHEFFERVS
MœnoFrancofurtanus Med. D.

ERgone jam cernis, quid abusus distet ab usu?
Commodat hic multum, sed magis ille no-
cet.

Vino quid melius? Tibi si mensura bibendi
Mens læta, os sitiens, mensa jocosa fient

Ut mens officium possit præstare pedesque,
Corporis ut robur, mentis & accumules.

Vino quid pejus? si Te cellaria cernat

Vertere continuâ Thracia pocla manu:

Forma perit, languent vires, infirma senectus

Mox premit, hinc Stygias mors jubet ire
vias.

Quid Petum præstet, nos jam, Clarissime Tappi,

Immodicè sumptum, quid noceatve, doces,

Hoc ergo magnas agimus Tibi nomine grates,

Magna Machaonij parsque decusque chori.

Det

Det Deus incolumis superes ut Nestoris annos,
Et subeas serus regia tecta poli.

Officij ergo fecit

JOHANNES EBERHARDVS
Corvinus.

HÆc est utilitas, nobis quam Florida misit
Barbara præcipue sunt hæ laudesq; Tabaci,
Perniciem talem tæterque inuexit abusus:
Quum trahitur nimium fumus per fistulam amarus,
Infatisque iterum buccis emittitur idem.
Voluitur ater odor tectis atque undique terris,
Accrescunt morbi simul ingentesque dolores,
Permagnas ergo grates clarissime Tappi
Nobiscum debent tibi secla profunda nepotum.
Perge Machaoniis sic inclarescere libris:
Vive perennantem vitam: nec subtrahere luci
Scripta tua, ut multis hinc plurima commoda surgant.

Debitæ observantiæ
ergo fac.

C. E. T.

F I N I S.

Der Doms in der ...
Et ...
...

H ...
...

Debita oblationum


...

F I N I S

1004. 4. 38. 4. 7. 5.

7107





78 L 1266 [3.] 76 1794

ORATIO
DE
TABACO EJUS-
QVE HODIERNO
ABUSU
HABITA
A
JACOBO TAPPPIO MED.
D. EJUSDEMQUE PROF.
PVBLICO

Cum Magistratu academico in Illustri
Julia quartum abiret.

Tertiò edita auctior.



V. 105

HELMESTADII,
Typis & sumptibus HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.
ANNO cl^o 19 c LXXIII.

3